



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio III. De Lege Mosaica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

sunt juris naturalis, non nisi difficile intelliguntur. Et verò cum lex naturalis supponat res esse tales in se, quales eas decernit, hoc est, in se malum esse quod prohibet, in se bonum esse & moraliter necessarium quod præcipit, in se licitum esse quod permittit, in se denique irritum esse & nullum quod irritat; ad habendam veram legis naturalis notitiam, necessariò investigandæ sunt circumstantiæ, in quibus actus humani sunt in se boni vel mali, in se necessarii vel non necessarii, ad honestè scilicet vivendum; in se liciti vel illiciti, in se denique validi vel invalidi. Ad hoc autem sæpe opus est declaratione & interpretatione.

Quæres, utrum lex naturalis aliquando indigeat epykia propriè dicta?

R. negativè. Nam illa tantum lex indiget epykia propriè dicta, quæ præcipit vel prohibet universaliter per verba generalia, quæ corrigenda sunt in casibus in lege non expressis, sive casus illos legislator præviderit, sive non. Epykia enim propriè loquendo est *emendatio legis ex ea parte, qua deficit propter universale*. Atqui lex naturalis non, sicut positiva, præcipit vel prohibet universaliter per verba generalia, in certis casibus qui excipi debuerunt, corrigenda: lex enim naturalis præcipit quidem vel prohibet universaliter, at simul excipit casus omnes excipiendos; cum sit ordinatio divina practicè intimata per dictamina practica rectæ rationis, præcis circumstantiis particularibus, in quibus fiunt actiones, dictantis singillatim de iis omnibus, quæ bona sunt vel mala, licita vel illicita, valida vel invalida ex natura rei, agenda vel non agenda esse, permissa vel non permissa esse, valere vel non valere. Ergo, &c.

Quæres, utrum lex naturalis possit deleri de cordibus hominum?

R. nullatenus deleri posse quoad prima principia, quia sunt omnibus per se nota, qualia sunt ista: Bonum faciendum est, malum fugiendum; Quod tibi non vis fieri; alteri non feceris. Ita S. Thomas hic q. 94. a. 6. in O.

R. 2. deleri posse quoad præcepta particularia, ut ostendit experientia. Ita S. Thomas ibidem. Præcepta illa particularia alia sunt, quæ faciliè deducuntur ex primis principiis, & non nisi culpabiliter delentur de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones, vel propter pravas consuetudines & habitus corruptos: sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam. Alia verò sunt, quæ non nisi difficillimè possunt ex primis principiis erui, & possunt per ignorantiam inculpabilem deleri de cordibus hominum, ut tenent Doctores communissimè. Vide Tractat. de Actibus humanis.

Quæres, utrum jus gentium sit naturale?

R. Jus gentium esse formaliter positivum. Nam jus gentium est jus statutum ab omnibus, aut ferè omnibus gentibus, non quòd omnes gentes conveniant ad illud constituendum, sed quia diversæ gentes, propter voluntatum & arbitrorum similitudinem, idem singulæ statuerunt scripto, vel potius usu tantum & consuetudine, vim legis habente. Ergo jus gentium hominum placito statutum est, & consequenter formaliter positivum est.

Dico: Formaliter positivum est: nam materialiter, seu ex parte materiæ, partim naturale est, & partim positivum. Nam ab omnibus aut ferè omnibus gentibus constituta sunt aliqua, quæ sunt juris naturalis, & quoad hoc communi gentium consensu confirmatum est jus naturale. Item ab omnibus aut ferè omnibus gentibus constituta sunt aliqua, quæ sunt juris merè positivi, ut divisio agrorum, servitus captorum iusto bello, &c.

Quæres, in quo jus gentium differat à naturali?

R. 1. Differt in eo quòd ab hominibus constitutum sit, naturale verò à Deo, ut auctore naturæ. 2. Differt in eo, quòd per illud præcipiantur, prohibeantur, & statuuntur aliqua, quæ non sunt jure naturali

præcepta, prohibita, vel statuta. Jus tamen gentium non est contrarium juri naturali: 1. enim non est contrarium, ut est materialiter naturale; cum sub hoc respectu sit potius juris naturalis confirmatorium. 2. Non est contrarium, ut est etiam materialiter positivum; nam quæ sub hoc respectu præcipit, prohibet vel statuit, non sunt quidem præcepta, prohibita, vel statuta jure naturali. At jus naturale permittit ea præcipi, prohiberi, vel statui, ut patet in servitutis institutione, divisione agrorum, possessionum proprietate, &c.

XX

DISPUTATIO III.

De lege Mosaica.

*N*ota. Lex divina positiva dicitur ea, quæ ab ipso Deo immediatè lata, aliter promulgata est, quàm per dictamina rationis naturalis, nempe scripto, vel voce; in quo lex divina positiva differt à lege divina naturali, quæ per dictamina practica rectæ rationis hominibus intimatur.

Dividitur autem lex divina positiva, 1. in purè positivam, seu in positivam tam materialiter quàm formaliter, & non purè positivam, hoc est, positivam formaliter, & materialiter naturalem, quæ divisio intelligitur ex dictis Disput. I. Art. ult.

Dividitur 2. in veterem seu Mosaicam, & novam seu Evangelicam; quæ divisio est adæquata, per legem positivam divinam intelligendo integrum quoddam corpus juris divini, continens multa statuta, & traditum alicui multitudini hominum, ut vivant sub iisdem sacramentis, eodem modo sacrificandi, & eodem cultu externo Dei, & sic efficiant unum corpus mysticum. Lex enim divina positiva, sic sumpta, præter Mosaicam & Evangelicam alia non fuit, aut erit: nam nulla alia ejusmodi lex divina ante Mosaicam data fuit hominibus, aut dabitur post Evangelicam, ut constat ex Sacris Scripturis. Fuerunt tamen, ut certum est, in lege naturæ aliqua præcepta divina positiva, ad valde longum tempus lata, & consequenter particulares aliquæ leges divine positivæ, aliter quàm per rationis dictamen practicum intimatæ, ut præceptum abstinendi ab esu sanguinis, præceptum circumcisionis, &c. sed quæ non efficiebant corpus juris.

ARTICULUS I.

A quo, & quibus lata fuerit lex Mosaica.

RESPONSIO I.

*L*ex Mosaica immediatè à Deo lata est hominibus. Est contra Manichæos, qui, ut refert S. Augustinus lib. de hæres. num. 46. docebant Deum, qui legem per Moysen dedit, & in hebraeis prophetis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex principibus tenebrarum.

Prob. autem 1. autoritate Christi Matth. cap. 15. ubi loquens de lege Mosaica, vocat eam mandatum Dei. Irritum fecisti, inquit, mandatum Dei propter traditiones vestras. 2. Autoritate Concilii Trident. sess. 4. in decreto de Can. Script. ubi dicit Deum authorem esse veteris & novi testamenti.

Potè lex Mosaica, quamvis à Deo immediatè lata, non fuit tamen ab eo promulgata immediatè, sed à Moyse, cui à Deo angelorum ministerio tradita est, ut constat ex Apostolo Galat. cap. 3. Quid, igitur lex, inquit, propter transgressionem posita est ... ordinata per angelos in manu mediatoris. Et ex Actor. cap. 7. ubi Stephanus martyr sic ait de Mose: Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum Patribus nostris: qui accepit verba vite dare nobis. Unde ille, nempe Angelus, qui

qui Moyſi loquens dicebat: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti*, loquebatur, non in propria perſona, ſed in perſona Dei, quem repræſentabat, tanquam legatus ejus.

RESPONSIO II.

Tota lex Moſaica, ab Exodo uſque ad Deuteronomium incluſivè, à Deo immediatè lata eſt.

Prob. Nam 1. cap. 20. Exodi, ſic tradi incipit lex Moſaica: *Locutusque eſt Dominus cunctis ſermones hos: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo ſervitutis. Non habebis Deos alienos coram me*, &c. 2. Cap. 21. ſic præcepta judicialia tradi incipiunt: *Hæc ſunt judicia, quæ propones eis: Si emeris ſervum hebraum, ſex annis ſerviet tibi*, &c. 3. C. 27. præcepta cæremonialia inchoantur ſic: *Locutusque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere filiis Iſrael, ut tollant tibi primitias*, &c. 4. Cum traduntur præcepta ſive moralia, ſive judicialia, aut cæremonialia, identidem repetuntur, & inculcantur verba illa, *Hæc dicit Dominus, Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens*. Ergo, &c. Dixi autem, ab Exodo uſque ad Deuteronomium incluſivè, nam poſtea quædam præcepta autoritate humana addita fuerunt de celebrando feſto Phurim, Eſther. c. 9. & de feſto Scenopægiæ, lib. 2. Machab. c. 1.

Obj. illa Chriſti verba Marth. c. 19. *Moyſes ad duriciam cordis veſtri permiſit vobis dimittere veſtras uxores: ab initio autem non fuit ſic*. R. Judæis libellum repudiij permiſit Moyſes, non ut conditor legis, ſed ut promulgator. Per libellum enim repudiij Judæis concedebatur poteſtas reſcindendi prius matrimonium, & novum contrahendi; quam poteſtatem nulla auctoritas creata concedere poteſt.

RESPONSIO III.

Lex Moſaica à Deo lata eſt ſoli populo Judæorum.

Prob. ex Script. Nam 1. Deuteron. c. 4. dicitur: *Quæ eſt alia gens ſic incluta, ut habeat cæremonias, juſtaque judicia, & univerſam legem?* 2. Apoſtolus Rom. c. 9. loquens de Judæis, ſic ait: *Quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio*. Ergo, &c. Ex hiſ.

Nota. Lex Moſaica ſolos Judæos obligavit: lex enim non obligat, niſi eos quibus lata eſt. Unde gentiles non obligabantur lege Moſaica, quamvis obligarentur lege naturali, & nunc obligentur lege gratiæ; quia hæc utraque lex univerſis hominibus lata eſt. Hinc gentiles ſalvari poterunt ſine obſervatione legis Moſaicæ, licet non potuerint ſalvari ſine obſervatione legis naturalis, & nunc non poſſint ſalvari ſine obſervatione legis evangelicæ.

Potèd quamvis gentiles lege Moſaica non obligarentur, poterant tamen adjungere ſe populo Judæorum, & legi Moſaicæ ſe ſubjicere, juxta illud Exodi c. 12. *Si quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere phaſe Domino, circumcidetur prius omne masculinum ejus, & tunc ritè celebrabit, eritque ſicut indigena terre*. Quicumque autem ex gentilibus circumcidebatur, ad totius legis obſervationem tenebatur, juxta illud Apoſtoli Gal. c. 5. *Teſtifi- cor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ*. Et verò plures ex gentilibus populo Judaico aggregatos fuiſſe, & legem Moſaicam recepiſſe, conſtat ex lib. Eſther cap. 8. ubi dicitur: *Plures alterius gentis & ſectæ, Judæorum religioni & cæremoniis jungebantur*.

Quæſ. quodplex fuerit præceptum legis Moſaicæ? R. præcepta legis Moſaicæ triplicia fuiſſe, nempe moralia, cæremonialia, & judicialia, quæ in Scriptura ſignificantur nomine præceptorum, cæremoniarum, & judiciorum. Præcepta moralia ſunt ea, quæ materiam legis naturalis continent, qualiæ ſunt ea omnia, quæ continentur in Decalogo, excepta Sabbati determinatione. Præcepta cæremonialia dicuntur ea, quæ continent inſtitutionem ſacramentorum, ſacrificiorum, & aliarum circa cultum divinum obſervantiarum. Præcepta denique judicialia

ſunt ea, quæ ſtatuant illa, quæ ad reipublicæ regimen politicum, & pacem ac juſticiam cum proximo ſervandam pertinent.

Quæſ. quis finis fuerit & quodplex legis Moſaicæ?

R. Triplicem habuit finem lex Moſaica. Primus & proximus ac immediatus fuit, per præcepta moralia, in iis quæ ad naturalem rectitudinem neceſſariam ad vivendum conformiter ad naturam rationalem; per præcepta cæremonialia, in iis quæ ad cultum divinum; & per præcepta judicialia, in iis quæ ad regimen politicum ſpectant, dirigere populum Judaicum.

Secundus finis, & principalis à Deo intentus, fuit ſpiritualis ac ſupernaturalis populi Judaici felicitas, tum in hac vita per ſanctitatem morum, juxta illud Pl. 18. *Lex Domini immaculata, convertens animas*; tum in altera, juxta illud Luc. c. 10. *Hoc fac, & vives*, vita ſcilicet æterna, de qua Chriſtus à legiſperito interrogatus.

Tertius denique finis fuit gloria Chriſti, ad quem venturum lex Moſaica disponebat, juxta illud Apoſtoli Rom. c. 10. *Finis legis Chriſtus*, & quem magna ex parte præfigurabat per præcepta cæremonialia, & multa judicialia, juxta illud ejuſdem Apoſtoli Hebr. c. 10. *Umbram habens lex futurorum bonorum*.

Quæſ. quanam fuerint effectus legis Moſaicæ?

R. Effectus legis Moſaicæ fuerunt, 1. populum Judaicum dirigere in iis quæ pertinebant ad honeſtatem naturalem neceſſariam, ad cultum divinum, & ad regimen politicum. 2. Procurare ſpiritualem & ſupernaturalem ejuſdem populi felicitatem, tum in hac vita per morum ſanctitatem, tum in altera per æternam beatitudinem. 3. Disponere ad Chriſtum venturum, illumque præfigurare. 4. Obligare ad ea quæ præcipiebat, vel prohibebat. 5. Aliqua permittere, ut libellum repudiij, pluralitatem uxorum, &c. 6. Irritare aliquos actus, ita ut validi eſſe non poſſent, ut quoddam niſi ex tribu Levi conſtitui poſſet ſacerdos. 7. Conſtituere præmia, vel pœnas, ſive temporales, ſive etiam ſpirituales, v.g. quædam irregularitates, & immunditiæ legales.

ARTICULUS II.

Utrum lex Moſaica fuerit perfectæ, an imperfectæ.

RESPONSIO I.

Lex Moſaica non fuit imperfecta poſitivè, ſeu non fuit mala & injuſta, ſed bona & ſancta. Eſt contra Manichæos.

Prob. 1. Ex Scriptura, in qua de lege Moſaica dicitur Pl. 18. *Lex Domini immaculata, convertens animas*; & ad Rom. c. 7. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum*. 2. Ratione. Lex illa non potuit non eſſe bona, ſancta & juſta, quæ lata fuit à legiſlatore ſummè bono, ſancto & juſto. Atqui lex Moſaica lata fuit à legiſlatore ſummè bono, ſancto & juſto: nam lata fuit à Deo, de quo Job cap. 34. dicitur: *Nullus ei ſimilis eſt in legiſlatoribus*. Ergo, &c.

Obj. 1. Script. Dicitur Ezech. cap. 20. *Dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivunt*. Rom. cap. 5. *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum*. 2. Cor. cap. 3. *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat*. Hebr. cap. 8. *Si illud prius (teſtamentum) culpa vacaret, non utique ſecundi locus inquireretur*. Actor. cap. 15. *Quid tentatis imponere jugum ſuper cervicem diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus?*

R. ad 1. Præcepta illa non bona, de quibus loquitur Deus, non ſunt præcepta Moſaica, ſed præcepta ab hominibus data, quæ nimirum Deus petmilerat ab hominibus imponi Judæis in pœnam violatæ legis Moſaicæ. Ad 2. Apoſtolus hoc loco & aliis ſimilibus, nihil aliud vult, quam legem Moſaicam oſtendiſſe, & prohibuiſſe peccata, unde occasione, non data, ſed

sed accepta, exarsit in hominibus desiderium rerum prohibitarum, & ita contra intentionem legis & legislatoris peccata multiplicata fuerunt. *Ad 3.* Littera, seu lex Mosaica occidit occasionaliter, seu occasione, non data, sed ab hominibus propter cordis pravitatem accepta. *Ad 4.* Apostolus ibi per culpam intelligit defectum negativum, seu impotentiam legis Mosaicæ ad sanctificandos homines ex propriis. Eodem sensu ead. epist. c. 7. sic loquitur: *Reprobatio quidem fit precedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem.* *Ad 5.* Apostolus ibi tantum cum exaggeratione quadam ostendit gravitatem & difficultatem legis Mosaicæ, ut à sententia deterreat eos, qui gentes recens ad fidem conversos circumcidi & legem servare volebant.

Obj. 2. Lex Mosaica multa permittebat rationi repugnantia, nempe odium inimicorum, oculum pro oculo & dentem pro dente erueret, uxorum pluralitatem, usuram erga alienigenas, & libellum repudii. *R. ad 1. neg.* Imò Levit. c. 19. expresse prohibetur inimicorum odium: dicitur enim: *Non quaras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Cum autem Christus ait Matth. c. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum,* nihil aliud significat, quam hæc verba, *& odio, &c.* à quibusdam legis corruptoribus, ex proprio sensu & ex prava interpretatione addita fuilicet. Et verò verba hæc, *Odio habebis inimicum tuum,* nullibi Scriptura vetus habet.

Ad 2. Lex talionis fuit quidem severa, at non fuit injusta, nec eam Christus Matth. c. 5. damnat, sed solum abrogat, & suaviorem instituit. *Ad 3.* Deus, ut supremus corporum Dominus, Judæis permittere potuit, ut plures simul uxores haberent. *Ad 4.* Deus, ut supremus bonorum omnium temporalium Dominus, Judæis potuit permittere, ut aliquid ab alienigenis supra sortem acciperent. *Ad 5.* Deus ut auctor naturæ, cui jura omnia matrimonii subjacent, permittere potuit, ut certis de causis matrimonii contrahentium rescinderent Judæi.

RESPONSIO II.

Lex Mosaica fuit imperfecta negativè, & comparativè, hoc est, minus perfecta, quam lex evangelica.

Prob. 1. Fuit minus perfecta ex parte causæ efficientis: nam utraque sic à Deo immediatè lata est: ut vetus per hominem putum, nempe Moysen, nova verò per Christum Deum & hominem ab eo lata sit. De hac differentia loquitur Apostolus Hebr. cap. 2. & 3.

2. Minus perfecta fuit ex parte eorum quibus lata est; lata enim est Judæis tantum; unde gentiles non obligabat, quamquam, si vellent, possent illi se submittere. At lex Evangelica pro universo orbe lata est, juxta illud Matth. c. ult. *Euntes docete omnes gentes.* Unde sic obligat omnes homines, ut nemo salvari possit sine illius observatione.

3. Minus perfecta fuit ex parte durationis: non enim lata est, nisi ad tempus, nempe usque ad adventum Christi, juxta illud Apostoli Gal. cap. 3. *Lex propter transgressiones posita est, donec veniret semen (Christus).* Lex paedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub paedago. At lex Evangelica duratura est usque ad mundi finem, juxta illud Christi Matth. c. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Unde non est alia lex post Evangelicam legem instituenda.

4. Minus perfecta fuit ex parte materiæ, quatenus lex Evangelica, 1. præter præcepta moralia, quæ sunt juris naturalis, & quibus proinde non potest non teneri creatura rationalis: pauca alia continet; unde illud Christi Matth. c. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* At lex Mosaica, præter præcepta moralia, continebat quàm plurima alia cæremonialia & judicialia, observatu difficilissima, ut testatur Petrus Apostolus Actor. c. 15. 2. Lex Evangelica præcipit aliqua longè perfectiora; nempe fidem explicitam Tri-

nitatis & Incarnationis pro omnibus adultis, oblationem sacrificii longè præstantioris omnibus Mosaicis sacrificiis, & usum Sacramentorum longè excellentiorum, quippe quæ gratiam non modò significant, ut sacramenta Mosaica, sed etiam ex opere operato conferunt. 3. Dat consilia excellentis perfectionis, ut castitatis, paupertatis, &c. quæ non dedit lex Mosaica.

5. Fuit minus perfecta ex parte efficaciæ: nam non dabat gratia ex propriis, sicut dat lex Evangelica, nec ejus sacramenta conferebant gratiam, sicut conferunt Sacramenta legis Evangelicæ, sed significabant tantum: unde ab Apostolo Gal. c. 4. appellantur *infirma & egena elementa*: nec peccata expiare, aut veram justitiam conferre poterat, sicut potest lex Evangelica: unde Hebr. c. 7. dicitur ab Apostolo fuisse reprobata *propter infirmitatem & inutilitatem*: nec in ea dabatur gratia cum tanta abundantia propter Christum venturum, quantacum datur in lege Evangelica post Christi adventum: unde illud Joan. c. 1. *Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Nec denique introducebat in cælum, quod clauum erat, nondum perluto per Christi mortem & sanguinem hominum redemptionis prætio; quod cum jam sit perlutum, lex Evangelica in cælum homines introducendi potestatem habet.

6. Fuit minus perfecta, quia magis fuit lex timoris quàm amoris, & magis servilis quàm filialis. Lex verò Evangelica est lex amoris & filiorum, juxta illud Apostoli Rom. c. 8. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Et verò, ut dicit hic S. Thom. q. 91. a. 5. in O. lex vetus ad mandatorum observantiam inducebat *timore poenarum*, qui modus inducendi servorum proprius est. *Lex autem nova facit hoc per amorem, qui in cordibus nostris infunditur per gratiam Christi, quæ in lege nova confertur, sed in lege veteri figurabatur.* Induci autem per amorem ad observanda præcepta, proprium filiorum est. Rectè igitur S. Augustinus hoc loco à S. Thoma laudatus, lib. contra Adamantium cap. 7. ait: *Brevis differentia est legis & Evangelii timor & amor.*

ARTICULUS III.

Utrum, & à quo, & quando abrogata sit lex Mosaica.

RESPONSIO I.

Lex Mosaica abrogata est.

Prob. 1. ex Scriptura veteri, in qua legis Mosaicæ abrogatio manifestè prænunciatur, Hier. c. 31. his verbis: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum.* Sic autem ad hæc verba loquitur Apostolus Hebr. c. 8. *Dicens novum, veteravit prius, in prænuntiatione scilicet, quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est.*

Prob. 2. ex nova Scriptura, in qua legem veterem abrogatam esse manifestè docet Apostolus, 1. ad Gal. c. 3. *Lex, inquit, paedagogus noster fuit in Christo. At ubi venit fides, jam non sumus sub paedago.* 2. Hebr. cap. 7. *Reprobatio, inquit, fit precedentis mandatis, propter infirmitatem ejus & inutilitatem.* Unde cum aliquando in Scriptura lex Mosaica, & ejus cæremoniæ dicuntur æternæ, non sic dicuntur, quia in æternum duratura erant, sed quia institutæ fuerunt ad tempus longissimum, & sine certo termino in eorum promulgatione definito.

RESPONSIO II.

Lex Mosaica abrogata est non solum quoad præcepta cæremonialia & judicialia, sed etiam quoad moralia.

Prob.

Prob. Nam variis Scripturæ locis lex vetus dicitur abrogata, nulla exceptione facta, & sine distinctione præceptorum moralium à cæremonialibus & judicialibus, ut patet ex locis Resp. I. citatis. Quod confirmatur ex Apostolo Hebr. c. 8. ubi dicit: *Translato sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat.* Ergo sicut penitus translatus, seu abrogatus est sacerdotium Aaronicum, ita penitus translata, seu abrogata est lex Mosaica. Hinc ad observanda Decalogi præcepta non tenemur vi legis Mosaicæ, sed vi legis naturalis, quæ semper manet, & vi legis Evangelicæ: quæ statuit illa eadem, quæ scilicet ex parte materiæ purè naturalia sunt; de illis enim agitur, non de determinatione Sabbati, ad quod servandum nulla lege nunc tenentur homines. Sed

Observe. 1. Lex Mosaica non fuit abrogata propriè, nisi respectu Judæorum, quia solos Judæos obligabat. Et verò cum non fuerit lata gentilibus, non opus fuit abrogatione respectu illorum. 2. Nunc non solum gentiles, sed etiam Judæi à lege Mosaica liberi sunt, si convertantur ad fidem, si non. 3. Et ita Judæi si nunc non debent sperare bonorum temporalium promissiones legi Mosaicæ annexas, nec debent subire pœnas, impositas legis Mosaicæ transgressoribus: si enim desit lex Mosaica, ita & desierunt promissiones, & pœnæ temporales ei annexæ.

Obj. Script. Dicitur Matth. cap. 5. *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Rom. cap. 3. *Legem ergo destruximus per fidem? Absit; sed legem statimus.* Rom. cap. 13. *Qui diligit proximum, legem implevit.* Ephes. cap. 6. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione.* Jac. cap. 2. *Si tamen legem perfectis regalem secundum Scripturas, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, bene facitis.* Quibus locis significari videtur, quod lex vetus adhuc vigeat quoad præcepta moralia.

R. ad 1. Cum sic loquebatur Christus, non erat abrogata lex Mosaica, sed adhuc vigeat. *Ad 2.* Mens Apostoli est, quod doctrina evangelica de justificatione peccatoris ex fide Christi, legem Mosaicam non malam aut inutilem, sed bonam & utilem fuisse probet. *Ad textus reliquos,* in illis significata tantum præcepta moralia legis Mosaicæ, quæ sunt juris merè naturalis, instaurata & firmata esse per legem evangelicam, & ita servanda esse vi obligationis, quam inducit lex evangelica.

RESPONSIO III.

Lex Mosaica à Christo abrogata est.

Prob. 1. ex Script. Nam Ephesiorum cap. 2. de Christo dicitur: *Qui fecit utraque unum, & medium parietem maceria solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis (evangelicis) evacuans, ut duos condant in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, &c.* 2. Quia ab eo lex vetus abrogata est, à quo lata est lex nova: nam lex vetus per novam abrogata est. Atqui lex nova lata est à Christo, ut probabitur. Ergo, &c. Itaque cum Luc. c. 16. dicitur, *Lex & propheta usque ad Joannem;* sensus est, vel quod lex & propheta usque ad Joannem, Christum prædixerint venturum, ipse verò Joannes præsentem demonstravit, vel potius quod usque ad Joannem lex & propheta bona temporalia legem servantibus proposuerint, ipse verò Joannes cæperit proponere regnum Dei, quod in spiritualibus bonis situm est, nam post verba citata sic prosequitur Scriptura: *Ex eo regnum Dei evangelizatur.*

RESPONSIO IV.

Lex Mosaica tunc abrogata est, cum lex Evangelica sufficienter inimitata & promulgata est Judæis.

Prob. Nam lex Mosaica abrogata est, vel ante mortem Christi, vel in ipsa morte Christi, vel post mortem Christi, quando scilicet lex Evangelica sufficienter promulgata est Judæis. Non primum, aut secundum; Ergo tertium dicendum est.

Prob. min. 1. itaque lex Mosaica non fuit abrogata ante mortem Christi. Nam Christus præcepit legem

Mosaicam servari, ut patet ex Matth. cap. 23. ubi sic loquitur: *Super cathedram Moysi sederunt scribae & pharisæi: omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate & facite.* Præterea, Luc. c. 22. dicitur: *Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi pascha.* Ergo pridie mortis Christi adhuc vigeat, & obligabat lex Mosaica.

2. Lex Mosaica non fuit abrogata in ipso articulo mortis Christi. Nam si abrogata est in ipso mortis Christi articulo, tunc abrogata est, cum non innovit sufficienter ejus abrogatio: nam ipsimet discipuli Christi post ejus mortem crediderunt legem Mosaicam adhuc obligare: ut enim dicitur Luc. c. 23. *Revertentes paraverunt aromata, & unguenta: & Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum,* existimantes scilicet Sabbatum, sicut præcipiebat lex Mosaica, servandum esse. Falsum cons. Ergo, &c. *Prob. min.* Si tunc lex Mosaica abrogata est, cum ejus abrogatio non innovit sufficienter, non est abrogata sapienter, & utiliter, abrogationis enim invincibiliter ignorantia nulla utilis esse potest, cum tunc ex conscientia erronea subditi perinde teneantur servare legem, ac si non esset abrogata. Atqui lex Mosaica non potuit abrogari, nisi prudenter & utiliter: non enim potuit abrogari, nisi à Deo, qui nihil nisi prudenter & utiliter facere potest. Ergo lex Mosaica tunc tantum abrogata est, cum lex Evangelica Judæis sufficienter promulgata est.

Ratio à priori est, quia lex Mosaica exclusa est à Christo per introductionem legis Evangelicæ, juxta illud de Christo dictum ab Apostolo Ephes. c. 2. *Legem mandatorum decretis evacuans.* Unde sic argumentor breviter. Lex Mosaica tunc abrogata est, cum desit obligare Judæos. Tunc desit obligare Judæos, cum lex Evangelica cæperit illos obligare. Lex Evangelica tunc cæperit illos obligare, cum respectu illorum cæperit habere completam & integram rationem legis. Tunc denique respectu illorum cæperit habere completam & integram rationem legis, cum illis promulgata est sufficienter. Ergo à primo ad ultimum tunc lex Mosaica abrogata fuit, cum lex Evangelica Judæis intimata & promulgata fuit sufficienter. Hoc autem contingit in die Pentecostes pro urbe Hierosolyma, & deinceps successivè in variis orbis partibus per Apostolorum prædicationem.

Obj. 1. Si lex Mosaica non fuit abrogata ante mortem Christi, lex Mosaica & Evangelium simul viguerunt. *R.* re ipsa simul viguisse, sed cum hoc discrimine, quod toto illo tempore lex Mosaica fuerit in præcepto, Evangelium verò in consilio tantum. Unde toto illo tempore circumcisio obligavit Judæos, baptismus verò neminem.

At inquit. Judæi tunc temporis pro parvulis suis habuerunt remedium adversus peccatum originale, nempe baptismum. Ergo non tenebantur illos circumcidere. *R.* neg. cons. Nam, ut suo loco probabitur, circumcisio fuit primariò instituta ad distinguendum populum Dei ab aliis populis; unde etiam si inter Judæos aliquis sanctificatus esset in utero materno, adhuc ad circumcisionem tenebatur, ut patet in Joanne Baptista.

Obj. 2. Apostolus docet legem veterem abolitam esse in ipsa morte Christi. Nam 1. sic ait Hebr. c. 7. *Translato sacerdotio, necessarium est, ut & legis translatio fiat.* Unde sic argumentaris. Tunc lex Mosaica abolita est, cum sacerdotium Aaronicum translatus est. Atqui ex Apostolo, sacerdotium Aaronicum translatus est in ipsa morte Christi. Ergo, &c. 2. Eadem epist. dicit, novum testamentum confirmatum esse, hoc est, vim habuisse testamenti validi in ipsa morte Christi. Ergo in ipsa morte Christi testamentum vetus valere desit: cum enim testamentum posterius conditur ad revocandum prius, valor prioris tollitur per valorem posterioris. Novum autem testamentum à Christo conditum fuit, ad revocandum vetus testamentum. *R.* neg. obj.

Ad 1. autem prob. R. Christus non transulit omnino sacerdotium Aaronicum, nisi cum novum pontificatum

RESPONSIO.

ficatum promulgavit, quod non fecit in ipso mortis suae articulo, licet tunc & pridie exercuerit officium sacerdotis secundum ordinem Melchisedech, & sacerdotium Aaronicum ceperit transferre, quando ipse sacrificavit, & Apostolos novi testamenti sacerdotes instituit, atque ab eis & eorum successoribus sacrificium Missae usque ad mundi finem offerri precepit. Lex autem Mosaica non est abrogata, nisi cum Aaronicum sacerdotium omnino translatus est, & consequenter non est abrogata in ipso mortis Christi articulo, sed quando promulgata est lex Evangelica.

Ad 2. prob. R. Apostolus per verus testamentum intelligit pactum à Deo cum Judæis initum, quo Deus Judæis promiserat benevolentiam & protectionem suam, bonaque temporalia, si legem Mosaicam servarent: per novum verò testamentum, pactum à Christo cum Christianis initum, quo Christus Christianis promittit peccatorum veniam, amicitiam Dei, & coelorum regnum, si legem Evangelicam servant. Hoc autem pactum morte Christi confirmatum esse, & aliud prius infirmatum docet Apostolus. Quod fieri potuit, absque eo quod in ipso mortis Christi articulo lex Evangelica completeretur in esse legis, & regulæ morum, completam & integram obligandi vim habentis, & consequenter absque eo quod in ipso mortis Christi articulo abrogaretur lex Mosaica.

ARTICULUS IV.

Utrum lex Mosaica, statim atque mortua est, mortifera fuerit.

Nota. Aliud est legem esse mortuam, & aliud esse mortiferam. Lex mortua est, cum abrogata est, & non obligat amplius: mortifera est, quando non solum non obligat amplius, sed etiam est obligatio ad oppositum, ita ut non solum non debeat amplius, sed nec amplius possit observari absque peccato.

Nota iterum. Lex Mosaica, ut superius dictum est, triplicis generis præcepta complectebatur, moralia scilicet, judicialia, & cæremonialia. Quantum attinet ad præcepta moralia, quæ sunt juris merè naturalis, ea servare non solum licite possumus, sed etiam tenemur, non quidem vi legis Mosaicæ, cujus omnis obligatio desit, sed vi legis naturalis, quæ semper manet, & vi legis evangelicæ, quæ Christus omnia, quæ sunt juris purè naturalis, confirmavit.

Quantum attinet ad præcepta judicialia, exceptis iis quæ à Christo abolita sunt, qualia sunt ea, quibus permittebantur libellus repudii, pluralitas uxorum, & usura erga alienigenas, non est quidem necessarium ea servare, sed est licitum, possuntque ab iis qui potestatem habent condendi leges, proponi & præscribi ut servanda, non quidem vi legis Mosaicæ, hæc enim intentio mortifera esset; sed ut habentia vim obligandi ex lege de novo lata. Et verò legislatores, tam ecclesiastici quam sæculares, multa circa regimen politicum Ecclesiæ & Reipublicæ statuerunt, quæ olim circa regimen politicum Judæorum lege Mosaicæ præscripta fuerant, & præcepta.

Certum igitur est legem Mosaicam, quantum ad præcepta moralia, quæ sunt juris purè naturalis, & judicialia omnia, exceptis tamen iis quæ à Christo abolita sunt, non fuisse mortiferam, statim atque mortua est: cum nequidem nunc quantum ad illa sit mortifera. Unde tota difficultas est de præceptis cæremonialibus; cum de fide sit legem Mosaicam quantum ad illa non solum mortuam esse, ita ut non obliget amplius, sed etiam mortiferam esse, ita ut cæremonia religioſa, v.g. sacramenta & sacrificia quæ præcipiebant, non possint nunc usurpari sine gravi peccato? De his ergo præceptis queritur, utrum lex Mosaica quantum ad illa, mortifera fuerit, statim atque fuit mortua? Ad resolutionem questionis sit

Lex Mosaica, etiam quoad præcepta cæremonialia, non fuit mortifera, statim atque mortua est; ita ut aliquo tempore post abrogationem legis Mosaicæ, licitum fuerit præcepta illa servare, licet non fuerit necessarium.

Prob. Nam lege Evangelica sufficienter promulgata, & ita sublata Mosaicæ legis obligatione, Apostoli observarunt cæremonialia. Atqui dici non potest hac in parte errasse Apostolus, ignorando tunc legem Mosaicam non solum mortuam, sed etiam mortiferam esse, aut etiam scienter contra præceptum divinum cæremonialium usum prohibens, peccasse. Ergo, &c.

Prob. maj. ex Actor. c. 21. ubi de consilio Jacobi & seniorum, *Paulus assumptis viris, postera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians (sacerdoti) expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.* Hoc autem contigit anno Christi quinquagesimo octavo, ac proinde vigesimo quarto à promulgatione legis Evangelicæ Hierosolymis facta, & consequenter eo tempore, quo jam à multis annis ibidem obligare desierat lex Mosaica; in eo tempore, quo jam toto orbe Romano lex Mosaica erat extincta; cum jam toto orbe Romano lex Evangelica per Apostolos esset sufficienter promulgata.

Porro, quod non est prætermittendum, quia egregie facit ad rem nostram, rumor percrebuerat Hierosolymis, quod Paulus Judæos, quos inter gentiles ad fidem converterat, prohiberet ab observatione legalium, & ob hunc rumorem multitudinis fidelium, Hierosolymis recens à judaismo ad christianam religionem traductorum, gravem offensionem incurrerat: quapropter Jacobus, & seniores Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Paulo consilium dedere, ut viris quatuor, qui tunc in urbe aderant, & votum habebant super se, assumptis sanctificaret se cum illis, quo facto omnes intelligerent falsum rumorem de eo sparsum esse, ipsumque cæremonias legales non modò non spernere & reprobare, sed è contra religiose colere & observare. Huic autem consilio lubens acquievit Paulus; & assumptis viris, postera die purificatus, &c. Ergo totius Ecclesiæ Hierosolymitanæ, & Episcopi ejus Jacobi Apostoli, & ipsius etiam Pauli sententia tunc fuit, legem Mosaicam, quantum ad præcepta cæremonialia observari potuisse non solum absque peccato, sed etiam laudabiliter. Ergo tunc lex Mosaica, etiam quantum ad præcepta cæremonialia, nondum erat mortifera. Ergo multò minus fuit, statim atque mortua est.

Obj. 1. Apostolus ad Gal. c. 5. sic alloquitur Galatas: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit ... Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini.* R. Apostolus ita loquitur, quia Galatæ circumcisionem usurpabant, non solum ut licitam, sed etiam ut necessariam ad salutem, & falsò putabant ad justificationem legem Evangelicam non sufficere, sed præterea requiri legis Mosaicæ, saltem quantum ad præceptum circumcisionis, observationem. Dicit itaque Apostolus Galatas peccare, non quidem præcisè adhibendo circumcisionem, sed adhibendo ut necessariam.

Obj. 2. Statim atque lex Mosaica mortua est, non potuit amplius observari absque injuria Christi & legis Evangelicæ, quasi hæc lex ad salutem non sufficeret. R. Legem Mosaicam, postquam mortua est, minimè Christo & legi Evangelicæ injuriosum fuit aliquandiu servare, non quidem ut necessariam, sed ut licitam, atque ut cum honore synagoga sepeliretur; ne videlicet, si statim reprobaretur, cæremonia ejus malæ, & ejusdem cum ethnicorum superstitionibus generis fuisse viderentur; quod in contumeliam Dei, legis Mosaicæ conditoris, redundasset.

Obj. 3. Post Evangelii promulgationem, cæremoniarum legalium observatio perniciosum mendacium continebat: tunc enim cæremonia illæ significabant myste-

mysteria Christi ut futura, quæ jam erant facta. R. Cæremoniæ legales ex vi institutionis suæ tantum significabant mysteria Christi ut futura pro eo tempore, pro quo erant futura: unde earum observatio etiam post Evangelii promulgationem, sed secundum earum institutionem facta, erat tantum significatio & protestatio mysteriorum Christi ut futurorum pro eo tempore, pro quo erant futura, in quo certè nullum erat mendacium.

Hinc qui cæremonias illas post Evangelii promulgationem usurpabant secundum earum institutionem, & ita ex intentione per eas significandi præcisè mysteria Christi ut futura pro eo tempore pro quo futura erant, & à fortiori qui usurpabant eo tantum animo, ut ostenderent illas non fuisse malas, sed à Deo profectas, non peccabant: quamvis peccarent illi, qui eas usurpabant cum intentione per eas significandi mysteria Christi ut nondum facta, & ut facienda: tunc enim earum observatio significatio erat ac protestatio mysteriorum Christi, ut nondum factorum, & ut faciendorum, in quo perniciosum erat mendacium. At hoc, non ipsis cæremoniis, sed illas male usurpantibus imputandum fuit.

Obj. 4. Si postquam lex vetus mortua est, licuit adhuc servare cæremonias illius, Paulus immeritò reprehendit Petrum, quod eas usurparet, seque à gentilibus Antiochenis recens ad fidem conversis segregaret, ut judaicè viveret cum Judæis, qui Hierosolymis à Jacobo advenerant. Atqui justam tamen causam habuit Paulus Petrum reprehendendi, ut ipse Paulus testatur Gal. cap. 2. ubi sic ait: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.*

R. Paulus reprehendit Petrum, non quia præcisè usurpabat cæremonias legales, sed quia usurpabat cum aliqua imprudentia, & scandalo infirmorum, quatenus ejus factò & exemplo inducebantur gentiles, recens conversi ad fidem, ut crederent legalium observationem ad salutem necessariam esse, & sic aliquo modo cogebantur ad vivendum judaicè, ut apertè colligitur ex his Pauli verbis loco citato: *Situ, Judæus cum sis, gentiliter vivis & non judaicè, quomodo gentes cogis judaizare?* Petrum autem cæremonias legales imprudenter & cum infirmorum scandalo usurpantem, jure merito reprehensum esse, & reprehensibilem fuisse, quis dubitat? Sed quid hoc contra nos, qui dicimus legales cæremonias etiam post Evangelii promulgationem aliquandiu licitè usurpari potuisse, lectulo infirmorum scandalo?

Obj. 5. Lex cæremonialis non potuit religiosè observari, nisi quandiu in ratione veræ legis mansit. Atqui ubi primum mortua est, desit habere rationem veræ legis: nam intrinsecum & essentielle est omni veræ legi, ut obliget. Ergo lex cæremonialis, ubi primum mortua est, seu obligandi vim amisit, non potuit observari religiosè.

R. neg. maj. Lex enim cæremonialis tandiu potuit religiosè observari, quandiu cæremonia in ea præscriptæ, manserunt quoad institutionem. Tandiu autem quoad institutionem manserunt, quandiu non fuerunt à Deo omnino repudiata & prohibita: tandiu enim verè fuerunt cæremonia divina, quantumvis quoad obligationem abrogata, & ita lege cæremoniali non amplius manente in esse veræ legis. At Deus cæremonias illas non repudiavit & prohibuit, statim atque lex ipsa cæremonialis mortua est, sed solum postquam synagoga cum sufficienti honore seputa est. Lex igitur cæremonialis, etiam postquam desit habere rationem veræ legis, amissa obligandi vi, potuit aliquandiu religiosè observari.

Nota. Cæremonia legales desierunt quantum ad obligationem, ubi primum lex Evangelica sufficienter promulgata est; quantum verò ad institutionem, non nisi postquam sufficiens honos delatus est synagoga: tunc enim primum Deus eas repudiavit & prohibuit, atque tunc primum pro non divinis haberi debuerunt.

Quæres, quo præcisè tempore lex Mosaica,

quantum ad cæremonialia cæperit esse mortifera?

R. hoc incertum esse. Quid enim lex Mosaica, quantum ad cæremonialia, sit nunc mortifera, neque habemus ex aliqua Scriptura Sacra, neque ex definitione alicujus Concilii Oecumenici, aut summi Pontificis, sed solum ex traditione Ecclesiastica, quæ docet quidem nunc mortiferam esse legem quoad præcepta cæremonialia, sed annum & diem, quo talis esse cæperit, non indicat. Probabilius tamen est, cæpisse mortiferam esse quadagesimo circiter anno à Christi morte; tum quia hæc est communis Doctorum sententia, tum quia tunc temporis, jam à pluribus annis lege Evangelica toto orbe Romano sufficienter promulgata, templum Hierosolymitanum una cum statu reipublicæ Judaicæ à Romanis eversum est, proindeque synagoga extincta, cui consequenter honorem deferre necesse non erat amplius, tum quia cæremoniarum legalium bonitas & utilitas jam sufficientissimè demonstrata fuerat, nec ullum amplius condescensum merebantur Judæi, à tot annis cum tanta pertinacia vocationi divinæ, tot signis & prodigiis probatissimè, obstitentes.

Dices. Multis post Christi mortem sæculis Canon Apostolicus prohibens esum sanguinis & suffocati, confirmatus est in Concilio Gangrensi, in Aurelianensi II. & Vormacensi. Ergo cæremoniarum legalium usus multis à morte Christi sæculis licitus, imò & ex aliqua parte præceptus fuit.

R. Ecclesia in aliquibus Conciliis, Christianis prohibuit esum sanguinis & suffocatorum, non in gratiam legis Mosaicæ & cæremoniarum legalium, & ad deferendum honorem synagoga, sed quia tunc temporis ethnica superstitionis speciem habere videbantur, & ut Christiani omnem paganissimi suspensionem vitarent: idolis enim in gentilitimo offerebantur carnes suffocatae, & de illis comedebant, qui illas immolabant. Posset autem Ecclesia etiam nunc, quamvis nunc mortiferas esse cæremonias legales, sit extra omnem controversiam, eadem prohibere, Christianis, si eadem prohibendi rationes recurrerent.

Quæres, quo jure cæremonia legales factæ sint tandem aliquando mortiferae.

R. factas esse jure divino. Nam sicut lex Mosaica, quantum ad omnia sua præcepta, jure divino mortua est per sufficientem Evangelii promulgationem, quatenus facta sufficienti promulgatione Evangelii, Deus noluit eam amplius habere vim obligandi: ita, quantum ad præcepta cæremonialia, mortifera facta est jure divino, postquam sufficiens honos delatus est synagoga, quatenus sufficienti honore synagoga delato, Deus cæremonias ejus repudiavit & prohibuit sicque cæremonia illæ superstitionis & illicitæ evaserunt etiam jure naturali.

Igitur elapso tempore, quo debuit honor exhiberi synagoga, & cujus determinationem Deus verissimiliter relinquit Ecclesiae, Ecclesia non potuit, nec potest amplius cæremonias legales renovare, aut præcipere; non enim potest derogare juri divino. Potuit tamen, & nunc potest alias similes cæremonias instituere & præcipere, modo judaicam superstitionem non redoleant. Item quilibet etiam Christianus potest aliqua facere ex iis quæ præcipiebat lex cæremonialis, & quæ sunt ex se indifferentia, modo hæc faciat sine intentione religiosum aliquid usurpandi, absque scandalo, & vitet omnem judaicæ superstitionis suspensionem. Sic potest Christianus quilibet, propter valetudinem, & quicquidque alium finem non malam, abstinere à certo genere ciborum, modo hoc faciat sine scandalo, & suspensione superstitionis judaicæ.

Quæres, utrum quandiu Judæis, ad fidem conversis, licuit uti cæremoniis legalibus, licuerit etiam gentilibus pariter conversis ad fidem, usurpare easdem cæremonias, non quidem ut necessarias ad salutem, sed ut licitas, & ad sepeliendam cum honore synagoram.

R. licuisse. Nam 1. cæremonia illa nunquam specialem aliquam prohibitionem vel malitiam habuerunt respectu gentilium ad fidem conversorum, vi cujus per

prohibitionis vel malitiæ non possent ab illis usurpari, quantumvis licet à Judæis ad fidem conversis usurparentur. 2. Tandiu cœremoniæ illæ sacræ fuerunt & divinæ, nullatenus legi Evangelicæ repugnantes, quandiu Judæis ad fidem conversis licuit illis uti.

Dices. Paulus circumcidit Timotheum, qui Judæus erat ex genere materno, & circumcidere noluit Titum, qui erat ex omni parte gentilis; non nisi quia Timotheo licuit, Tito verò non licuit usurpare cœremonias legales. Ergo, &c. R. neg. min. Itaque Paulus Timotheum circumcidit, ut hoc facto ostenderet, se non improbare cœremonias legales, nec Judæos ad fidem conversos, ab earum observatione, ut falsus ferebat rumor, prohibere. Titum verò noluit circumcidere, ut Judæis enixè postulanti bus ut Titus circumcideretur, ostenderet cœremoniarum legalium observationem ad salutem minimè necessariam esse.

DISPUTATIO IV.

De Lege Evangelica.

ARTICULUS I.

Utrum Christus novam legem condiderit, & quæplicitia sint hujus legis præcepta.

NOta. Lutherus & Calvinus docuerunt, Christum munus obisse redemptoris tantum, non legislatoris, nec legem novam instituisse, sed solum veterem abrogasse, nihilque aliud nunc ad salutem necessarium esse, quam fidem, per quam liberamur ab omni lege. Hos errores damnat Tridentina Synodus sess. 6. can. 19. ubi dicitur: *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem... anathema sit.* Et can. 21. ubi dicitur: *Si quis dixerit Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem cui fideant, non etiam ut legislatorem cui obediant, anathema sit.* Secundum hanc doctrinam, contra novatores, sit

RESPONSIO I.

Christus non solum legem veterem abrogavit, sed etiam novam condidit. Est de fide.

Prob. 1. ex Scriptura veteri. Nam Isaia c. 33. Christus promittitur non solum ut salvator, sed etiam ut legislator: sic enim propheta loquitur de Messia: *Dominus iudex noster, Dominus legislator noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* Item promittitur lex nova, à Christo statuenda. Nam Isaia c. 2. sic ait: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Quod de lege quam laturus erat Messias, intelligendum esse, manifestum est ex contextu.

Prob. 2. ex nova Scriptura, ex qua Christum potestate legislativa, sibi ut homini à Patre concessa, usum esse, veterem legem abrogasse, & novam instituisse, patet; sed in primis ex Matth. c. 5. infra citando, & 28. ubi sic Apostolos alloquitur Christus: *Euntes docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.*

Prob. 3. ratione theologica. Christus rex est Ecclesiæ: nam de illo dicitur Isaia c. 33. *Dominus rex noster.* Et Psalm. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion.* Et Luc. c. 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.* Ergo Christus dare debuit, & revera dedit leges Ecclesiæ. Cum enim perfecta societas, sive civilis, sive ecclesiastica, utiliter administrari, & stabiliter conservari non possit sine legibus, & officium regis sit statuere ea, quæ ad regni sui, seu societatis perfectæ cui præest, bonum regimen & conservationem necessaria sunt; vel Christus dicendus est boni regis officium neglexisse, quod est impium; vel Ecclesiæ, quam instituit, leges convenientes dedisse.

Simonnet Theol. Tom. II.

RESPONSIO II.

Nova lex à Christo lata continet præcepta moralia.

Prob. Præcepta moralia sunt ea, quæ pertinent ad fidem, spem, charitatem, & alias virtutes. Atqui nova lex ejusmodi præcepta continet. Nam Matth. c. 5. sic loquitur Christus: *Nolite putare quoniam veni solvere legem.... Non veni solvere legem.... Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno celorum.* Quibus verbis, ut patet ex subsequentiis, Christus loquitur de præceptis purè naturalibus, in decalogo contentis; quæ proinde hic confirmat, sicut lege Moisaica fuerant confirmata.

Idem facit passim aliis locis. Sic Matth. c. 7. dicit: *Omnia ergo quaecumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quibus verbis comprehenduntur omnia officia erga proximum, lege naturali præscripta. Et Luc. c. 10. legisperito recitanti hæc Decalogi verba, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.... & proximum tuum sicut te ipsum;* respondet: *Hoc fac, & vires.* At verba illa totam legem naturalem continent. Unde Christus illa confirmando, totam legem naturalem confirmavit.

Præterea, disertis verbis præcipit fidem Matth. c. ult. cum ait: *Qui non crediderit, condemnabitur;* & charitatem proximi Joan. c. 13. dicendo: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Utram expresse prohibet Luc. c. 6. his verbis: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Et Matth. c. 19. prohibet divortium, & libellum repudiij, ipsumque irritat, cum ait: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Igitur nova lex continet præcepta moralia, quorum alia sunt juris naturalis, ut præceptum amoris Dei & proximi, alia verò positiva divina, ut præceptum credendi fide explicita mysterium Trinitatis.

RESPONSIO III.

Nova lex à Christo lata, continet etiam præcepta cœremonialia.

Prob. Nam præcepta cœremonialia dicuntur ea, quæ pertinent ad sacramenta, ad sacrificium, & ad cultum Dei externum. Atqui lex nova continet ejusmodi præcepta, ut patet ex illo Joan. c. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei;* quibus verbis præcipitur susceptio baptismi. Et illo ejusdem c. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis;* quibus verbis præcipitur sumptio Eucharistiæ. Et illo ejusdem c. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt;* quibus verbis instituitur sacramentum poenitentiae, & præcipitur confessio mortalium post baptismum admissorum. Et ex illo Luc. c. 21. *Hoc facite in meam commemorationem;* quibus verbis præcipitur oblatio sacrificii. Et ex illo Joan. c. 21. *Pasce oves meas;* quibus verbis summo Pontifici inter alia præcipitur, ut statuat ea quæ spectant ad cultum Dei. Ergo, &c.

Potè lex nova non habet præcepta judicialia, sicut habuit lex vetus, quia Christus non voluit per se ipsum dare præcepta, nisi ea quæ perpetuò stabilia & immutabilia esse expediebat, qualia sunt præcepta moralia & cœremonialia, quæ dedit. Cum autem præcepta judicialia pro temporum & occasionum varietate saepe mutari expediat, satius judicavit Apostolis, & eorum successoribus, atque in primis Petro & successoribus ejus, de ejusmodi præceptis statuendi arbitrium relinquere, necessariamque ad id jurisdictionem concedere, Matth. c. 18. *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in celo, &c.* quæ verba pertinent ad omnes Apostolos, & eorum successores. Ejusd. c. 16. *Tibi dabo claves regni celorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in celis.* Et Joan. c. 21. *Pasce oves meas.* Quibus locis non solum Petro Apostolorum principi, sed etiam successoribus ejus promittitur & conceditur publica potestas & jurisdictio in universam Ecclesiam.

Obj. 1. illud Rom. c. 3. *Ubi est ergo gloriatio tua?*

R

Exclu-